
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 11.

Liter.
Novo-Tacin.
937/VI.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pane edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capuccinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Worte Eccles. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Dilger Predigt bey der Leichbegängniss Henrici Nicolai gehalten.

Adl 30

DELINEATIO COLLOQVII

Inter

VALERIANUM MAGNUM,

CAPUCCINUM.

& Legatum, ut ferebatur, Cæsarium.

&

HENRICUM NICOLAI,

Philos. Profess.

In Gymnasio Gedanensi.

die 1. Febr.

Anno M. DC. LVI.

Horis antemeridianis.

FRANCOFURTI ad MOENUM.

Typis WENDEL MOEWALDI,

Anno 1682.

R.9

DIsputatio ipsa fuit de Inconsequentiâ argumentativâ materiali, octava in Dec. I. miscellan. Ubi t. 6. de collocutoribus Bavaricis Ratisbonæ refertur, quòd de Judice præcisè requisiverint, ita decidere controversiam, ut altera pars sciat se vicisse, altera se causâ cecidisse. Scriptura autem non ita decidat. E. Judex controversiarum fidei esse neqveat. Et Respondetur, Principium in se rerum nimis ad illegitimam materiam extensum esse. Illud de judice loqui de Judice ministeriali & interpretativo ac coactivo, extendi ad principalem, normalem, & directivum. Hic Valerianus excepit: Bavaricos intellexisse scripturam cum Spiritu S. junctam, tanqvam vocem ejus, adeoqve cum eo velut complexè sumptam. Sic non extendi ultra debitum, nam sic supremus Judex & decisivus est, de quo etiam intellexerint Bavarici. Responsum est: Nihil ita juvari Bavaricos. Nam adhuc requisitum aliquod Judicis inferioris & interpretativi extenditur ad Judicem superiorem & decisivum, qui & is ita cogatur præcisè procedere, ut partes audiat, causas discutiat, circumstantias attendat, & post omnia satis discussa causam uni parti adjudicet, alteri deroget. Quod summus Judex qualis Judex est Spiritus S. & scriptura, vox ejus per quam decidit, non facit. Et ita adhuc principium de suo objecto judice inferiore, verum illegitimè extenditur, ac Judidicem supremum & Verbum ejus.

2. Ad principale thema progressus de primatu Petri & consequenter Pontificis Rom. se acturum præmisit, contra t. 19. Et rem totam hoc syllogismo complexus est. Cui primatus

inter Apostolos à Christo 1. est insinuatus. 2. Cui promissus 3. datus & exhibitus. 4. confirmatus. 5. & à quo actu ipso exercitus fuit, is jure Apostolorum primus creditur ab Ecclesia Catholicâ. Et hæc membra universa & juncta sumenda esse, non singula & separata subsumpsit: Atq; Petro inter Apostolos nulli alii primatus est insinuatus, promissus, exhibitus, confirmatus, & actu à Petro usurpatus. Ergò jure talem Catholica credet Ecclesia.

Minor per ordinem probata. 1. Insinuatus primatus est Petro à Christo nominis mutatione. Joh. 1. v. 42: *Tu vocaberis Cephas*, i. e. petra. Inde sic: Aut importat aliquid hæc nominis mutatio, aut nil importat. Non nihil importat, sic enim vana & inanis illa Christi actio fuisset, & quidem in primo cum Petro congressu occupata, cum nunquam adhuc vidisset eum, aut cum eo locutus esset, quod incredibile. Nunquam Deus nomina nisi maximis de causis & ad peculiare privilegium concessum mutare solet. Sic Abrahamo Gen. 17. Si aliquid, tùm vel commune quid cum cæteris Apostolis, quod non, soli enim Petro nomen mutatur hic, non aliis, & contradistingvitur hic Petrus aliis Apostolis, ut Andreæ fratri suo, cui nomen non mutatur: Et nomen quidem proprium mutatur, Simon in nomen Petri, quod cum nullo Apostolorum commune habet. Nam quod filii Zebedæi Bonaerges dicuntur, Marc. 3. cognomen fuit, non nomen proprium. Nec distinctè legitur, ubi, quando, quo modo nominis mutatio ista contigerit, nec tantâ pompa illis nomen mutatum est, ac omnia de Petro memorantur. Vel peculiare quid, & hoc vel futurus Apostolatus, vel in illo primatus. Prius non, plures enim eò vocati, quibus nomine mutata non leguntur. E. in Apostolatu futurus primatus, quod erit intentum, & jam habetur. Et sic iste primatus nominis mutatione soli Petro verè est insinuatus.

2. Pro-

2. Promissus, Matth. 16. v. 19: *Tibi DABO claves regni cœlorum.* Ubi 1. futurum est, dabo, non adhuc præsens. Ergo rem futuram in Petro notabat, ad quam evehendus erat Petrus, non quâ de facto jam instructus erat. E. potestas Apostolica sola remittendi ligandique notari nequit, quam aliàs facto jam adeptus erat, cum ad Apostulatum vocatus erat, Matth. 4. v. 20. E. præter illam potestatem primatum in potestate supra cæteros notabat. 2. Tibi, Petro scil. Non datur hic aliquid communiter omnibus, qui aderant colloquio, sed soli Petro, Tibi, tibi, non Andreæ, Bartholomæo, &c. Petrus nomine totius Collegii responderat. Meritus ergò illustri confessione prærogativam super cæteros habere. Cur enim tam pomposè loqueretur Christus, Tu es Petrus, tibi dabo, quicquid tu ligaveris super terram, &c. nisi solus Petrus intelligatur. Deciperet enim Christus omnes, qui verba ista litteraliter intellexerint, nisi soli Petro dicta intelligantur. 3. Claves regni cœlorum. Potestas remittendi peccata nomine clavium venire non negatur. Sed prout hic Petro promittitur, sola notari nequit. 1. Quia specialiter & peculiariter Petro aliquid se daturum promittit. Tibi, Tibi, Petro. Potestas autem remittendi peccata est communis ipsi cum omnibus Apostolis. 2. Quia præterita nominis mutatio in memoriam revocatur. Tu es PETRUS, Syriace, Cephas, quod petram notat, fatentibus etiam quibusdam Lutheranis, Luthero in Matth. 16. v. 18. Joh. 1. v. 42. Ut ergò nominis ista mutatio primatus super cæteros erat insinuatio: ita iterata revocatio ejusdem primatus erat promissio, quando cum futuro dabo, conjungitur. 3. Quia Petro, ut petræ, id est, fundamento & sustentaculo futuro Ecclesiæ & cæterorum Apostolorum datur. Dicit enim, hanc petram. Illud hanc ad aliquid præcedens respicit, quod proximè præcesserit. Hoc nihil aliud quàm Petrus fuit, Tu es Petrus, & super hanc petram, i. e. Temetipsum. Nam quod in Græco Πέτρος sit, nil obest,

Et πέτρος & πέτρα petram notant. Voluit autem Græcus utpote de homine loqvens potius maſculinum nomen uſurpare, quam fœmininum. Poſtea fœmininum, ut explicaret metaphoram, quòd Petram de Petro intelligeret, quòd eſſet petra vel ſaxum. Si enim πέτρος iterum dixiſſet, nomen Petri ſolum repetitum fuiſſet, metaphora clarè adducta non fuiſſet. An poteſtas remittendi peccata in omnibus Apoſtolis eſt communiter: In Petro ſingulariter, ut petra & fundamento futuro item Collegii Apoſtolici, quàm futuræ Eccleſiæ. At in hoc maxima ſuper cæteros Apoſtolos eſt eminentia & primatus, quorum nullus Petrus vel petra, nec tanqvam petræ claves regni cœlorum ei traditæ. Nomen ipſum Chriſti, Petra, Petro tribuitur, undè probabiliter omninò primatus colligitur, ut maximè vis demonſtrandi hic non ſubſit.

3. Exhibitus. Joh. 21. v. 15. ſeq. *Paſce oves meas*, 1. Soli Petro dicitur, cum & alii Apoſtoli adeſſent, appellatur enim Simon Joanna, quod nomen Petri erat. Ille ſolus interrogatur, diligis me plus quàm cæteri? Et reſpondet, diligo. Ex interrogatione trinà, reſponſione Petri, & contriſtatione ejus patet, ſolum Petrum eſſe, cui hic aliquid conferatur. 2. Paſce. Paſcere eſt ita alimentare cibo, ut ſimul cibum procures. Vid. Luc. 12. At hoc eſt præpoſiti & gubernatoris. Deinde vox paſcere omnem actum paſtoralem comprehendit. Sed inter hos etiam eſt, ducere, reducere, tueri, caſtigare, regere, præeſſe, imperare, ſed ſpirituali ordine & ſcopo. Nam paſtores & regunt, & baculo cogunt oves, ut pareant. Et in Græco eſt ποιμαίνειν, quod & principibus tribuitur, non ſolum βόσκειν, quod & bubulcis. Sic de Chriſto Mich. 5. & Matth. 2. quod ut ἡγούμενος paſcere debeat, & in Hebr. eſt maſchal, quod dominari notat. 3. Oves meas. Oves notant omnes Chriſtianos, etiam ipſos Apoſtolos. Nam illæ oves, quæcunqve Chriſti ſunt, ſine diſcrimine committuntur Petro. At inter has & ipſi Apoſtoli. Et ſic

paſtor

paſtor auditorum & Apoſtolorum, & Judæorum & Gentium conſtituitur, id eſt, rector & præpoſitus. Sic Joh. 10. oves meas cognoſco, pro ovibus animam pono &c. omnes in univerſum fideles comprehendit. Deinde & illi commiſſi Petro, quos debuit confirmare, ſi vacillarent. At Apoſtolos jubetur confirmare. Luc. 22. v. 32. E. & illorum paſtor conſtitutus.

4. Confirmatus. 1. Singulari Chriſti pro Petro oratione. Luc. 22. verſ. 32. *Ego oravi pro te, Te Petro, ne deficeret fides tua*, tua h.e. Petri. Communiter pro omnibus Apoſtolis oravit, Joh. 16. Sed ſingulariter pro Petro, ut nec deficeret & fratres confirmare poſſet. Hinc Græci & Latini Patres Petrum principem Appſtolorum futurum collegerunt. 2. Singulari Chriſti mandato, quo confirmare fratres ſuos jubetur. Hoc nullus præter Petrum à Chriſto juſſus eſt, nec exemplum oſtendi poteſt. Jam qui confirmat alium, ſuperior eſt eo, quem confirmat. Debuit autem confirmare Petrus cœteros Apoſtolos. Illis ergò ſuperior extitit. 3. Trinà compellatione Chriſti, amas me. Joh. 21. v. 15. & ad qrimatum reductione, Paſce, paſce agnos & oves.

5. A Petro actu ipo exercitus fuit primatus: Act. 1. Petrus tanquam Paterfamilias congregat cœtum diſcipulorum, & aliquem in locum Judæ adſciſcendum docet. At hoc primatis eſt facere, & ejus, qui cum poteſtate conſulit in commune bonum. 2. Primus omnium in Pentecoſte N. T. promulgat Evangelium, excuſat Apoſtolos, & prædicatione ſua ad 3000. hominum ad fidem convertit. 3. Tanqvam ſummus Judex agnovit hypocriſin Ananiæ & Sapphiræ, & damnavit, ut ſolo verbo eos occideret. Act. 5. 4. In primo Concilio Apoſtolorum primus ut Judex ſententiam dicit, decidit, ejusqve deciſionem Jacobus & omnes alii ſeqvuntur. Act. 15. v. 7. Hæc omnia præſidentiam in Petro arguunt. Et his omnibus conficitur, 1. Juſtiſſimè Catholicos Petrum principem Apoſtolo-

rum

rum agnoſcere. 2. Ad minimùm miſeratione Dnn. proteſtantium dignos eſſe, quod ex tot prærogativis ſoli Petro competentibus de nullo alio Apoſtolorum expreſſis aliud nihil colligere poſſint, quàm principatum. Verba Chriſti eſſe clara, ut alius ſenſus ex illis elici nequeat. Imò tam certum ſe eſſe, alium ſenſum non admittere, ut in ultimo die non vereri velit ad Chriſtum dicere: Tu Domine, ſi ego deceptus ſum, me decepiſti. Verba tua manifeſta legi, alium ſenſum, quàm Petri primatum, ex illis colligere non potui, nec verba tua aliter capere potui, ſi quid erravi, ex tuis verbis haurire neceſſum habui.

Iſtis finitis ad ultimum ita intulit: Aut Pontifex Rom. eſt verus ſucceſſor Cathedræ & primatus Petri, aut alius quis. Non alius quis, non enim ille aſſignari poteſt, quisnam ſit. Et nominetur ille, quisnam ſit? Periit enim Hieroſolymitani, Conſtantinopolitani, Antiocheni Epiſcopi ſucceſſio, nec de ullo probari poteſt, quod non interrupta ſucceſſione in primatu aut officio Apoſtolico Petro ſucceſſerit. E. Papam R. eſſe oportet.

Hæ fuerunt objectiones Valeriani. Reſponſiones ſeqvuntur.

Reſponſum fuit ad argumentum generaliter & ſpecialiter. Generaliter 1. Majorem in voce primatus longè ſpecialiùs determinandam eſſe, ſi noſtræ ſententiæ legitimè argumentum opponi debeat. Nam ſine limitatione primatum qualemcunque à nobis Petro non negari, nec de eo unquam inter inter nos & Catholicos, fuiſſe controverſiam. Et ſi de primatu generaliter dicto inferatur concluſio, nos non oppugnabit, quia talem concedimus. Unde argumentum hoc ſenſu procedet: Cui inter Apoſtolos primatus ſc. qualiscunque & generaliter etiam dictus eſt inſinuatus, promiſſus, exhibitus, &c. ei jure conceditur. At Petro. Ergò. Concedere pos-

re possumus totum argumentum, tanquam directe nobis non oppositum, & quod ἀγνοίᾳ ἐλέγχου laboret. Concedimus nos primatum ætatis, ordinis, majoris in Christum dilictionis, & inspectionis alicujus in cæteros Petro præ aliis. Item existimationis personalis, qua magni fiebat præ cæteris Petrus, eximii alicujus zeli pro Christo, & libertatis loquendi pro ipso, &c. Sed negamus primatum potestatis & jurisdictionis universalis in totam militantem Ecclesiam, & omnes ejus Episcopos ac Sacerdotes, & omninò talem primatum, qualem cum potestate utriusque gladii in terris exercendi sibi ab annis 800. & ultra arrogavit Pontif. Rom. Et de facto exercuit, & hodiè exercere ex jure sibi competente præsumit. Ad hunc primatum limitanda est major, ut directè nostræ sententiæ argumentum opponatur. Cum hac ergò determinatione vocis primatus sic argumentum proponendum:

Cui inter Apostolos primatus talis, qualem hodiè sibi arrogat P. R. in universam Ecclesiam militantem, & ab annis 800. in Ecclesia exercuit, est à Christo insinuatus, promissus &c. ei jure talis primatus à Christianis tribuitur. Vel: Cui inter Apostolos primatus jurisdictioni universalis cum utroque gladio in totam Ecclesiam est insinuatus, promissus, &c. ei jure is tribuitur, sed Petro talis primatus utriusqve Jurisdictionis in universam Ecclesiam militantem est insinuatus, promissus, exhibitus &c. E. jure talis ei tribuitur. 2. Si à primatu generaliter dicto ad primam specialem talem & talem, qualem Pontifex sibi arrogat, inferatur, negatur Conseq. majoris. Excepit Valerianus. Non posse negari consequentiam, non negato aliquo membro, antecedente vel consequente. R. Imò negari posse nexum antecedentis & cons. missis istis membris in se, quæ per se vera esse possunt, ut nexus eorum sit falsus, & contrà falsa, ut nexus verus. Ut: si homo est animal, est etiam docilis, eruditus &c. Membra vera, nexus est falsus. Si asinus volat, habet pennas, membra

bra falsa, nexus verus. Hic nihil contra Logicam committitur, si consequentia negetur, ubi nexus membrorum falsus, h. e. unum ex altero non sequatur, etsi ipsa per se vera sint. Sic verum, hominem esse animal, & esse docilem. Sed consequentia falsa. Quò ex animali statim sequatur esse docile. Ut in Logicis uberius docetur. 3. Etiamsi de Petro tandem hæc omnia vera essent & concederentur, eum talem primatum potestatis & jurisdictionis super cæteros Apostolos à Christo accepisse, ei confirmatum & ab eo usurpatum esse, iterum tamen ab eo ad Pontif. Rom. procedere consequi negaretur, qui nec officio, nec potestate, nec doctrina, nec vita & moribus Petro similis est, eoqve cum eo conferri non potest, nec debet, ut in Theologicis pluribus demonstratur. Et cujus tamen gratiâ omnia hæc à Papistis disceptantur & constituuntur. Petro enim nec succedi debuit, nec potuit, & Apostolatus extraordinarium tantum officium ac ad tempus durans fuit, quo abolito totum cessare debuit, non in successore aliquo continuari, ut ad ultimum dicetur.

Deinde igitur jam respondemus specialiter ad minorem, eam cùm omnibus suis membris negando. Id specialiter jam per singula membra ostendendum erit.

1. Insinuatus talis primatis dicitur nominis mutatione, Joh. 1. v. 42. R. I. A nomine mutato ad primatum statim in aliquo inferendum N. V. C. Aliquid importare in homine divinam nominis mutationem concedimus. Sed primatum præcisè importare, & in Petro quidem talem primatum, qualem P. R. & arrogat sibi & usurpat, totaliter negamus, nec ullum in sacris exemplum extare dicimus. Mutatio nominis in sacris vel notat devictionem, cum in signum victoriæ & potestatis quam in aliquem habemus, nomina mutamus; Ita Nebucad Nezar nomine Danielis, Misaeli, Azariæ mutavit. Dan. 1. non qvod illi, cui nomen mutatur, potestas aliqua conferatur, sed

ſed quos ejus, qui mutat, in mutatum poteſtas declaretur. Sic Mathania à Rege Babel Zedekia dictus, 2.Reg.24.v.17. Et ſubjectus eſſe coactus eſt, non per id ſuperior factus. Vel futurum aliquem eventum à Deo promiſſum & deſtinatum, ita Abrahamo nomen mutatum, quia Pater multarum gentium futurus, Gen.17.v.5. & Sarai Sara vocata, quod fœcundari deberet, & per hæredem multùm multiplicari, v.15.16. Primatum non præcisè importat. In Politicis nominum mutatio vel finem Politicum, vel abuſum etiam importare poteſt. Sed illa hujus loci non eſt. Ita in Petro, ubi maximè argumentum ſtrinxerint, futurum aliquem eventum notare potuit nominis mutatio, ut fidei firmitatem, Zelum pro doctrinâ Chriſtianâ, labores pro ea exantlandos, &c. aut prærogativam ordinis, exiſtimationis, parreſias, ardentioris in Chriſtum amoris, &c. primatum præcisè talem, de quo inter nos quæſtio, nullo modo inſinuavit.

2. Propriè loquendo negamus Petro nomen fuiſſe mutatum, ſed aliud ad priſcum nomen impoſitum. Mutatur nomen cum deſinit prius, & imponitur aliud. Sed Petrus retinuit prius, Simon, & pro cognomento adjectum nomen Petri. Sic & negamus hoc proprium ei nomen fuiſſe, ſed cognomen fuit, ut & filiis Zebedæi tale cognomen imponitur, Bonaerges Marc.3, 17. Ita ipſe Petrus prius nomen retinet, & ſe Simonem Petrum vocat 2.Pet.1.v.1. Et Joh.21.v.2. ſic vocatur. Et Simon Johanna poſt reſurrectionem à Chriſto ibid. v.15.16.17. Jacobus eum Simonem vocat. Act.15. v.14. Imò expreſsè cognomen ejus Petrus dicitur. Act.10.v.5.& 18.3. Negamus & ſoli Petro aliud cognomen datum inter Apoſtolos. Etiam filiis Zebedæi nomen Bonaerges à Chriſto impoſitum, ut paulò ante jam notatum ex Marc. 3,v. 17. non uſurpatum in ſacris legatur, quia de duobus valet, quos ſi ſic vocarent, ignoraretur, uter eorum intelligeretur. Ut ergò diſtinctè proponerentur, propriis nominibus vocati ſunt. Etiam Paulo nomen à Deo eſt mutatum, pro

Saulo Paulus, Et hic in primatum veniat, si nominis mutatio primatus præcisè est judicium. Et qui aliàs nullo Apostolorum se inferiorem vocat. 4. Falsum & illud est, Cephas notare idem ac petra. Petrum notat, qui per agnominationem Petrus dictus, qui petrinus. Quæ agnominatio si peculiari sono à Syris efferri nequeat, nihil tamen rei ipsi decedit, cum & in aliis lingvis non semper distincto sono denominationes formari sciamus, quæ tamen veræ denominationes, ut Musica ars & mulier. Sic cephas petra & cephas Petrus vel petrinus, ut post videbimus.

1. Promissus primatus Matth. 16. Negamus Universa, quæ hinc colliguntur. 1. Futurum promittitur, dabo. Rectè. Sed quid hoc ad primatum? Claves hic promissæ postea traditæ sunt Petro, sed non soli, sed & omnibus Apostolis, notant enim potestatem remittendi & retinendi peccata. Matth. 18. & Joh. 20. Etsi Petro peculiariter hic promittitur, non tamen peculiare quid & ei soli proprium promittitur, sed & quod cæteri acceperunt, futurum ponit, quia ad solemne munus Apostolicum universaliter obeundum postea cum cæteris Apostolis Petrus inaugurandus & mittendus erat. Joh. 20. Matth. 28. Marc. 16. Hoc non ante resurrectionem plenariè per totum orbem exercendum commissum erat à Christo. Ideò in futuro hîc Petro dandum promittitur, sed non ut res ei peculiaris, sed ut cum Apostolis communis. Debuit postea universaliter exercere potestatem clavium per totum orbem. Hoc non in primâ statim vocatione datum erat. Ideò futura adhibet. Dices: Locus Joh. 20. non est huic Matth. 16. par. Ibi expresse ad peccata claves determinantur. Sed hic generaliter, quicquid ligaveris. Ligant autem non solùm peccatis, sed & legibus. Et ligare plus est, quam retinere peccatum. Retinere est non solvere. Ligare autem est novum vinculum imponere. R. τὸ Quodcunqve ad peccata restringendum ex Matth. 18. & Joh. 20. & sic Patres explicant. Et ligare & solvere eodem respectu

pec-

peccatorum explicandum. Remittere peccata est solvere peccatorem: retinere est ligare. Non ligantur homines nisi propter peccata. Legibus si ligantur, par in illis condendis cæterorum Apostolorum fuit authoritas, ac Petri, non major.

2. Sed de solo Petro loquitur, Tu es Petrus, Tibi dabo, cur non alii nominantur, si alii subintelliguntur. Solus Petrus confessus erat, ita singulare præmium meritus. Cur sic pomposè solum Petrum alloquitur, si nihil peculiare ei datur. R. Aliud est aliquem solum alloqui: aliud solitarium & peculiare aliquid alicui promitti. Solum eum alloquitur, quia solus confessionem nomine omnium ediderat: Sed non peculiare quid & ei soli competens promittitur, sed quod & cæteris Apostolis postea est exhibitum. Omnes enim eo jure sunt usi. Aliud, ad unum sermonem dirigi, aliud rem promissam sermone isto uni soli conferri. Prius concedimus, & hoc docent circumstantiæ, Beatus es, Simon, fili Jona, ille confessus erat. Tu es Petrus. Tibi dabo. Posterius negamus, nec indè sequitur. Sic cum in renuntiatione Doctoris ad unum sermo dirigitur, non sequitur, Doctoratum rem ad unum solum spectantem esse. Aliud, soli Petro Christus promittit, se claves daturum, h. e. pollicitatio tum facta non dirigitur ad alios Apostolos, sed solum Petrum. Aliud, rem istam, claves, nulli alii Christus daturum promisit, quàm Petro. Prius verum. Posterius malè ex textu infertur. Promissio ipsa, seu promittendi actus tum temporis in Individuo soli Petro competebat, ad illum enim sermo dirigitur: Res promissa communis illi cum cæteris Apostolis fuit. Sic Matth. 4. Simoni & Andreæ promittitur: Faciam vos piscatores hominum. Res promissa communis cum aliis erat, Apostolatus. Sic Matth. 18. Quicquid ligaveritis in terra, solis Apostolis dicebatur. Res tamen intellecta per ea & in alios funditur, Episcopos, Ministros verbi. Sic soli adolescenti dicebatur: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Rem

tamen dictam ad multos extendunt Papistæ. Aliud, Petro rem aliquam singularem & donum singulare promitti, i. e. eximium, excellens. Aliud Petro singulare quid & proprium datum. Sive rem singularem, & isti Individuo tantùm competentem. Illud verum, hoc falsum. Non quæcunqve singulari alicui personæ tribuuntur, semper sunt singularia & propria, cum & communia esse queant. Emphaticè, pomposè Christum locutum, verum. Sed inde non sequitur, ergò rem Petro promissam ipsi singularem & individualem fuisse. Sæpè dixit Christus, ego dico Vobis, ut Luc. 11. 16. Joh. 16. nec tamen res prolata singularis fuit. Tò Ego non sensum moderatur verborum, quæ proferuntur, sed indicat personam, à quà proferuntur. De merito Petri per confessionem nullum in textu vestigium, itaqve ea facilitate rejici qua adferri potest. Si qvod meritum hic, cui præmium dandum, commune omnium fuisset, nomine enim omnium ut membrum pro societate respondet, Omnem enim confessionem Christus quæsierat vers. 15. Non soli Petro cessisset. Ita & commune præmium fuisset.

3. De clavibus explicationem habemus Matth. 18. & Joh. 20. qvid notant, ne ultra eundum sit. Principatum notari probari neqvit. Officium Apostolicum ligandi & solvendi notant. Dantur claves vel à subditis principi, ut urbem ingressuro, hic subjectio & deditio notatur: Vel ab hero & principe Officiario & Oeconomo, hoc officium notat, non principatum. Ita Petro à Christo claves traduntur. Christus Princeps, Petrus Officiarius. Christus clavem habet ut princeps, Esa. 9. Apocal. 3. Ille ex proprio & suo jure habet. Petrus principem factum esse nusquam constat. Et ipse principatum à se removet, ut post patebit. Etsi clavis Christi summam authoritatem notaret, non statim tamen & Petri. Claves propriè officium notant. Si principatum notare debent, aliunde in per-

sona

ſona aliqua aut adjectis, aut circumſtantiis aut ſimilibus id notum eſſe oportet.

4. Quod nominis mutatio Petro in memoriam revocetur, falſum. Nomen non mutatum eſt. Tantum novum & priori retento ſuper adjectum indicatur. Non inde nova authoritas ſequitur, niſi nomen à ſeipſo ſummam authoritatē ſignificet, quod falſum. Peculiariter Petro aliqvid daturum, h. e. ut ipſi ſoli proprium, ex ante dictis falſum eſt. Cepham Syris & petram & Petrum notare, verum. Sed ſignificandi ratio non eſt una, etſi ſonus & vox una. Sæpè unâ voce & primitiva & denominativa à primitivis enuntiantur. Sed & ex lingva Hebræa, cujus idiotiſmus Syra eſt, & Græca & Latina, probare poſſumus. Hebræa: Sic Jona columbam & hominē à columba nominatū, qui columbinū notat, unâ voce, non unâ ſignificandi ratione. Sic Abel, Debora, Rachel, Aaron, Tabitha, Cepha & res, & homines à rebus denominatos notant. Græca; Sic Ceraunus, Hierax, Pagon, Antiochi & Seleuci dicti à rebus eâdem voce enutiatis. Latina: Ita Merula, Sura, Teſta, Ruga, Vocula, Penula, Aquila, Stolones, Vari, Gutta, Marena, Beſtia, Taurus, Canis, Leo, Pica, Pavo, Sagitta, Flamma, &c. & res, & homines à rebus denominatos notant. Sic Muſica & de arte & de Muliere, potentia & de qualitate & muliere ſic vocata; Muſa Medicus & Muſa res eadem voce dicitur. Sic in Germanico Chriſtus, & Chriſtum & Chriſtianum notat. Παρωνομία & denominatio velut à forma hic eſt in nominibus propriis, non eadem cum formis ſignificatio, etſi ſonus & terminatio vocis eadem. Sic Syris cepha & petram, formam velut abſtractam, & Petrum hominem à petrâ denominatum, petrinum notat. Diversâ ſignificandi ratione & denominatione, etſi ſoni identitate. Non ergò ſequitur, ſi *Petrus* dicitur Cepha, E. eandem petram notat, cum & petrinum notare poſſit. Cepha, cum petra eſt, Chriſtum & confeſſionem de eo notat: Cum Petrus, denominatum à petra, petrinum. Hæc non invi-

cem

cem confundenda, nam significandi ratio in denominante & denominato est diversa. Deinde & in ipso Syro textu et. si vox quà sonum sit eadem, quà significationem tamen diversè determinatur articulorum variatione, fœminini & masculini, Et hoc apud Syros articulorum variationes possunt, quod apud Latinos cadentiæ vocum Logicæ. In 1. parte est articulus Masculinus hic, qua. dic: Tu es ille Petrus, in posteriore fœmininus, hada, & super hac petra. Ut ita ex ipso Syro textu diversitas significationis in istis vocibus pateat. Sed quidquid de eo esset, ad Græcum provocamus, qui in N. Testam. authenticus, & in quo diversæ voces, πέτρα & πέτρος, ut Latinus Petra & Petrus, Lapes & Lapideus.

5. Quod τὸ *hanc Petram*, ad aliquid referatur, concedimus, quòd ad Petrum, negamus. Nil obest, proximè antecedere. Petrum, ideò ad hunc referendum. Non enim τὸ hanc, hæc, illud, & similia semper ad proximum præcedens referuntur, sed interdum ad remotum. Sic Matth. 11. *Confiteor tibi, Deus cœli & terræ quod absconderis hæc à sapientibus.* Quid hæc an cœlum & terram? Minimè, sed remotiora, de quibus Luc. 10. v. 17. Sic Act. 2: *Hunc destinato Consilio traditum.* τὸ hunc non ad proximum, Deum, sed remotius Jes. Nazarenum. Sic & hoc loco ad confessionem Petri hanc pertinet. Sic si Latinè dicas; Hic est merula & hac merula diligenter ab eo alita est. Non idem utraqve merula intelligitur, etsi eadem vox & terminatio sit. Deinde esto, ad Petrum referendum τὸ, *hanc*, sed per paronymiam & denominationem tamen referendum erit, ut Petrus non ipsa petra, sed ab ea nominatus sit, quomodo post denominata primitiva interdum subjiciantur. Sic Luc. 2: *Ut describeretur totus Orbis. Hæc descriptio.* Ut sensus hoc loco sit: Tu ex Saxeus, dictùs à Saxo. Et super hoc Saxum, à quo tu dictus, non quod tu es, ædificabo Ecclesiam. Quod Græcus Masculinum cum fœminino variat, ad denominationem

& de-

& denominatum discernendum facit, non Metaphoram ipsius denominati explicandam, quasi ipse Petrus petra illa esset. De singulari, quod Petro datum, ante dictum.

III. Exhibitus primatus Joh. 21. Et soli Petro dicitur: Fatemur, sed res dicta ad solum Petrum spectat, *negamus ex supra dictis*: Pasturam omnibus Apostolis esse communem tùm patebit, quando, quid ea sit, ostensum fuerit. 2. Pasce. Pascere sit explicandum, ut ipse Petrus explicuit, cum nullus melior interpres haberi possit, aut quæri debeat, quàm is ipse, Cui dictum, pasce oves. Sed hic ita explicuit, ut Dominatum apertè rejiceret. 1.Petr. 5. v. 2. Minùs Oecumenicum totius Ecclesiæ dominatum eò intelligeret. Excepit, Dominatum Politicum, qualis Regum gentium est, Luc. 22. prohiberi, non Ecclesiasticum, & cum cura pastorali conjunctum, Sic enim præesse & regere Ecclesiam jubentur. Actor. 20. vers. 28. R. 1. Ergò minimùm gladius Politicus R. P. interdictus erit, cujus tamen jus sibi arrogat. 2. Non dominii saltem modus, sed dominium absolutè prohibetur. Non dicit: Vos non sic dominabimini, sc. ut Reges, interim ut Ecclesiastici: Sed absolutè, Vos non sic. Quod totum prius membrum negare solet. Sic Gen. 4. v. 15. Septuag. οὐχ οὕτως, *non sic*, reddiderunt. Hoc absolutè negat, nulla ratione occideris, non solum, non eo modo, quo tu fratrem. Sic Matth. 19. *Ab initio non erat sic*, sive esse prorsus non licebat repudiare, non solum non eo modo; Nec dominatus tyrannicus notatur, sed dominatus tantùm. Sic κατακυριεύειν Lucas per simplex κυριεύειν reddit. Luc. 22. Talem dominatum Petrus intelligit, qui sit in clerum, i. e. auditores Ecclesiasticos. At hic est Ecclesiasticus, & ab Ecclesiasticis exercentur. Hunc autem prohibet. E. nec Ecclesiasticè dominari licet in Ecclesiâ. Deinde si verbum pascere summam authoritatem in Ecclesia notat, omnes qui pascent, aut pascere jubentur, summæ authoritatis erunt, adeòque illi, quos Petrus 1. Pet.

5. paſcere jubet. Sic non ſoli Petro hinc Privilegium. Et Paulus paſtores 4. loco demùm numerat, infra Apoſt. Evang. Eph. 4. E. non ſumma in paſcendo authoritas. Paſcere ut ſimul cibum procures, & ille poteſt, qui ſubdelegatus eſt, non primarius. Sic Servus Luc. 12. Non ille ſimpliciter Dominus ſtatutus, ſed ut juſto tempore menſuram eis det, quod additur. Et ſic Dominatum aliquem talis paſtura inferret, non tamen ſummum, quod Papiſtæ ſoli Petro aſſignant, ſed talem, quem omnes Paſtores & Apoſtoli cum Petro & poſt eum haberent. Et hi paſcere juſſi Joh. 20. Et Matth. 28. Jubentur enim μαθητεύειν, quod omnes partes Magiſtrorum in diſcipulos complectitur. Et Metaphoricæ voces ex analogia ſubjectorum, de quibus loqvuntur, determinandæ. Cum de Rege dicitur paſcere, omnes partes officii regi competentes notat. De Epiſcopo, omnes partes officii Epiſcopalis. Hic ergò non à paſcendo ſimpliciter inferendum, ſed paſcendo Epiſcopali. Hoc ſi dominatum reſpuat, nec hinc inde colligendus. Ποιμαίνειν & βόσκειν ſæpè identicè ſumuntur. Et Joh. 21. bis eſt βόσκε, ſemel ποίμαινε, ne quis hic myſteria quærat. Deinde ſi ποιμαίνειν dominatum infert, in ſubditos infert, non alios principes. Sic Agamemnon ποιμὴν λαῶν, non βασιλέων dicitur. Sed Petri & Papæ authoritas & in omnes Epiſcopos ac paſtores alios eſſe aſſeritur.

Vox ovium diſcipulos Chriſti notat. Sed omnes in univerſum notare probari nequit. Nec Petrus omnes pavit. Non illos, quos ſic docuit Paulus, ut non ſuper peregrino fundamento extrueret. Rom. 15. v. 20. 2. Cor. 10. v. 16. Non Æthyopes, Indos, Arabes. De diſcrimine ovium & agnorum parum eſt, quidquid quidam Codices Græci aut Patres hic varient. Scriptura promiſcuè unum pro alio ponit. Ut Matth. 10: *mitto vos, ut oves in medio luporum*, Lucas cap. 10. *ut agnos* dicit. Act. 8. v. 32. *Ut ovis ad occiſionem ductus eſt, & ut agnus coram tondente.* Deinde & Apoſtolos Petro commiſſos, ſanè, ſed ut &

Petrus

Petrus ipsis. Ut se mutuò solarentur, erigerent, confirmarent. Quid hinc pro authoritate solius Petri? Et Paulus in faciem ipsi restitit, eumqve publicè reprehendit. Gal. 2. Trina Petri compellatio ad reparandam abnegationis culpam & restituendam Apostolatus dignitatem, à quâ per negationem excidisse videri poterat, pertinet, ut Patres explicant, non Oecumenicum Pontificatum assignandum.

IV. Confirmatus primatus. 1. Nulla consequentia ab oratione Christi ad primatum. Cur orârit, additur, ne deficeret fides tua, ut per pœnitentiam ad eam reciperet sese. Etiam specialiter Christus pro cœteris Apostolis oravit, Joh. 17. nec hinc primatus. 2. Confirmare nullum dominium importat. Et Paulus & Barnabas confirmârunt cœteros. Act. 14. v. 21. Etiam Judas & Silas c. 15. v. 32. Etiam Paulus omnes discipulos c. 18. v. 23. Romanos Rom. 1. v. 11. & Timotheo id tribuitur, 1. Tess. 3. vers. 2. Nullus hinc primatus. Et confirmatio in fide salvifica hic intelligitur. At hæc non semper à summo Pontifice expectari potest, ut cùm is in fide errat, ut quidam. Si confirmare authoritatem aliquam importat, ex contextu & subjectâ materiâ id colligendum, quorum hic nihil. Lapsus & conversio prædicuntur, non primaria authoritas aut Oecumenicus Episcopatus. 3. De trinâ Petri compellatione & pasturæ commendatione antè dictum.

V. A Petro exercitus primatus. Negamus, nec ex locis adductis ullum primatus vestigium. Actor. 1. non dicitur jussu Petri discipulos coactos, ut Patrisfamilias. Solitos eos convenire ad orandum, eâqve occasione à Petro compellatos esse dicitur. Act. 2. incertum, an Petrus primus locutus, & non ante eum publicè alii prædicârint. Nam lingvis locuti sunt, v. 4. 11. Etsi primus, præconem eum arguit prærogativa aliqva hæc non seqvitur, & talis primatus, qualem Pontifex Roman. in Ecclesiâ gerit, minimum. Et Maria prima nuntiavit Christum

resurrexisse, nec hinc primatus. Joh. 20. v. 17. 18. Act. 5. fecit id Petrus, sed eodem jure, quo omnes Apostoli id agere potuissent, ut pares & collegæ. Nec hinc pro primatu ullum argumentum. Paulus eodem jure Elymam Magum excæcavit. Act. 13. In Act. 15. Petrum præsidem fuisse nullo indicio constat. Jacobum fuisse magis apparet, is enim decidit, quod præsidis v. 19. Petrus definivit quidem, ast non ut præses, sed ut quivis sententiam dicens, etiamsi ultimus in suffragio. Qvod Apostoli ejus sententiam seqvuntur, præsidentiam non arguit. Et Paphnutii sententiam in Nicænâ Synodo secuti sunt Patres, nec is tamen Præces. Præses potiùs sententias colligit, non ejus sententiam alii sequi solent. Post ejus collectionem nemo ampliùs sententias conferre solet.

Ex his omnibus patet, nihil pro primatu Apostolico Petri omnibus istis argumentis, nec universis nec singulis, solidè inferri posse. Et ita non habere satis causæ Catholicos, quod ex tam levibus indiciis tantam potestatem inferre velint, quâ majorem Orbis terrarum non habet. Nos verò si pro primatu alicujus Apostoli arguere velimus, longè meliùs pro Paulo arguere possemus. Is 1. miraculosè & singularissimo modo à Christo vocatus, etiam cum repugnaret doctrinæ Jesu. Act. 9. Vas electionis appellatur, quomodo nullus Apostolorum. Soli illi post ascensionem Christus visibiliter apparuit. Solus in tertium cœlum raptus est, & inenarrabile audivit. 2. Cor. 12. Plus omnibus laboravit, plura pericula sustinuit. 2. Cor. 11. Sibi incumbere curam omnium Ecclesiarum expressissimè ait, 2. Corinth. 11. v. 28. Quo dicto pro universali in Ecclesias Authoritate nihil illustrius dari posset, si quæ talis omnes authoritas uni concessa esset. Et si Catholici tàm illustram pro Petro locum haberent, quas non victorias pro primatu ejus sibi promitterent? Nos tamen in Paulo nondum tale quid colligimus.

Exce-

Excepit: Intelligi Ecclesias à Paulo seminatas & constitutas, non alienas. Resp. Contra intentionem textus id esse. Cum enarrasset pericula Paulus, quæ in prædicatione suâ Evangelii & Ecclesiarum fundatione sustinuisset, addit tanquam novum & à superioribus distinctum quid, & quod forinsecùs, ut textus habet, instet, incumbens sibi sollicitudo OMN. ECCLESIARUM. Quale quid de nullo Apostolo habemus, Ecclesias ergò & alienas ac non à se constitutas intelligit, quarum negotiis sæpè incursetur, ac sollicitudo sibi de illis omnibus incumbat.

Primus à Spiritu prædicaturus mittitur gentibus. Actor. 13. Petro in faciem restitit, Gal. 2. Hominem Sathanæ tradidit. 1. Cor. 5. Solis sudariis ægros sanavit, Elymam excæcavit, ingens spatium terræ prædicatione Evangelii emensus est. Rom. 15. & 2. Cor. 10. Ejus scripta adhuc viventis etiam à Petro citantur, 2. Petr. 3. Pluras Epistolas scripsit, quam ullus Apostolorum, Ad ejus prædicationem primò Christianorum nomen institutum, Act. 11. A nullo hominum Evangelium accepit, sed à Christo, Gal. 1. Plus se quam Ministrum Christi esse ait. 2. Cor. 11. & similia de Paulo habemus, unde in gentem, præ omnibus Apostolis ei prærogativam assignaremus. Non tamen facimus, & parem eum B. Petro aliisque Apostolis judicamus, qui & ipse dilectum suum fratrem eum vocat. 2. Petr. 3. tantum abest, ut se principem omninm uspiam esse affirmat.

Quod Ex. sua tantâ fiduciâ ad CHristum ipsum appellet, ut & ab eo se deceptum dicere velit, si deceptus sit, videat quid agat; conscientiis quidem præscribere nostrum non est, quas Deo relinquimus & commendamus. Cavere tamen unumquemque jubemus, ne fiduciam fundamento destitutam in temeritatem tandem convertat, priusque legitima fundamenta solidissimè penetrare monemus, priusquam ad Christum interpidè provocare velit. Non datur ab eo judice ulterior

appellatio & sententiâ ejus stare nos omnes aut cadere irrevocabiliter tenemur. Non Deo deceptio tribuenda est, & Syracidis illud hic tenendum, c. 15. v. 12: *Ne dicas, ille me implanavit: Non enim necessarii sunt ei homines impii.* Fundamenta pro primatu Petri adducta non adeò liquida sunt, velut hæc collocutio ostendit, ut tantâ fiducia recipi debeant. Nec Catholici excusationem merentur, quòd tàm infirmis rationibus nixi tantam authoritatem Petro ac consequenter P. R. conciliare præsumant: Et ex abundanti, posito, universum illum primatum Petro promissum, datum, confirmatum, & ab eo usurpatum esse, quâ consequentiâ Pontif. Romano eum inferent? Quem nec successione, nec doctrina, nec moribus, nec potestate ullâ ex parte Petro similem esse alibi à nostris copiosè est demonstratum.

Ad alterum Syllogismum, quo à Petro ad Pontif. arguitur, Resp. ad Majorem per additionem tertii: Aut nullus est successor Cathedræ Petri. Nec unquam Petrus cathedram, cui continenter succederetur, habuit: nec successorem ullum constituit. Unde nemo ei succedere debuit, aut potuit. Et consequenter non quærendum de illo, quisnam ille, an Pontifex Romanus, an alius, cum nullus esse debuerit. Sic si dicerem: At Petrus fuerit par Christo, aut Paulus, aut alius Apostolorum. Rectè adderetur: Aut nullus, nemo enim ei par esse potuit aut debuit.

Denique Valerianus gratiis pro collocutione actis, in qua nonnulla sibi non displicuisse dicebat, cœtera alio tempore copiosius ventilari posse, discessit.

Alter Monachorum, cujus nomen non innotuit, invocationem Sanctorum probare voluit tali argumento: Si potentiæ animæ rationalis in homine moriente non moriuntur, sed manent, E. efficient & agent aliquid, e. gr. volent reminiscuntur, intelligent. Ergò. Et Sanctorum animæ no-

stras

ſtras res intelligent, noſtrarum rerum reminiſcentur, illas cu- rabunt, illis benè volent, & voluntatem ſuam noſtris rebus conformabunt. E. & nos vicisſim voluntatem noſtram ipſis conformare debemus, & ipſorum voluntati. E. & invocare ipſos licebit. Refundunt enim affectum ſuum ſuum ſuper miſerias & necesſitates noſtras. E. cum benè nobis velint, li- citè invocabuntur. Sic quos in aulis nobis benè velle ſcimus, eos ſtatim adimus & invocamus de auxilio.

Reſp. eſt, Syllogismo nullam legitimam conſequenti- am ineſſe, & membra maximam partem meris ambiguitati- bus implicata eſſe. Non ſequitur, ſi potentiæ aliquid agunt, E. ſtatim in particulari ſciunt res noſtras, hujus & illius miſerias in ſpecie, & ſic ſtatim ſpirituali affectu ſunt invocandi. Nam qui ſic invocandus, non in genere ſolum noviſſe res noſtras, ſed in ſpecie hujus aut illius miſerias ſcire oportet. Ambiguè dicitur, E. potentiæ animæ aliquid agent, efficient. Poteſt intelligi de actione manente, ſic verum, eas agere, vel trans- eunte, ſic falſum. Nec in corpus aliquod unitum, quo carent, nec in aliena corpora, ut noſtra aut alia, quidquam agunt. Sic intelligere res noſtras etiam ambiguum eſt. Vel de intelli- gendo in genere, ſic ſciunt, Eccleſiam militantem in fide, ſpe, patientiâ certare, pugnare, perſecutiones pati : vel in ſpecie, ut hujus & illius loci, Eccleſiæ, hominis res ſpecialicisſimè ſciant, ſic falſum eſt, ipſos nosſe, & valet illud Eſai. 1. verſ. 64. *Abraham ignorat nos, & Iſrael neſcit nos.* Omni ſcie entia ad hoc requiritur, quæ non in Sanctis. Benè velle etiam in genere, ſic verum, vel in ſpecie ad hunc & hunc hominem, caſum, ſtatum, hoc unde probabitur ? Et unde conſtat, Sanctos hoc ſcire, ut affectum ſuum ita ſpecialiter ſuper hæc & hæc refundant, & voluntatem ſuam ita ſpe- cialiter noſtræ conforment ? Invocare etiam ambiguum. Vel de civili, ſic homines in hac vitâ invocamus, & huc ſimile de au- lâ per-

ità pertinet, quòd aliàs non multum ad ſpiritualem juvat. Diſſimile, nec ita Sanctos invocandos volunt Papiſtæ: vel ſpirituali & religioſâ, & de hac valet Pſal. 50: *Invoca me, & eripiam te. Qui nomen Domini invocaverit.* Joël. 2. v. 32. Rom. 10. v. 13. V. & Eſa. 58. v. 9. c. 65. v. 24. *Et qui invocabimus, in quos non credimus?* Rom. 10. v. 14. De Sanctorum tali invocatione nec præceptum, nec exemplum, nec promiſſio in ſacris extat. Et niſi membra ita ſpecialiter determinaveris, nihil ex iſto ſyllogiſmo efficies. Etſi ita determines, nihil de Sanctis ſolidè hic probare poteris. Et ſic concluſio non ſequitur.

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0019288